

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Magistro Laurentio Camillo, rectori scholae Stendaliae, S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

his tibi gratularetur coniugium. Itaq; bene precamur tibi, & optamus ut Christus te seruet et gubernet, & benedicat ac fauat tuo coniugio, & uniuerse uitæ. Amanus enim te propter eximiam probitatem, modestiam, pietatem, & liberalem doctrinam. Illud autem te adhortor, ut memineris coniugium esse mysterium & imaginem societatis quæ Christo est cum Ecclesia. Quare te coniugis amor admonere debet, ut Ecclesiam etiam pari amore, cuius illa est imago, cõplectaris. quod quidẽ te facere non dubito. Sed duxi tamẽ hæc scribenda esse, quodã sciam plerosq; cura rei familiaris à literis abstrahi. Te uerò in literis retinere dicitur amor Ecclesiæ, cui spero ingenium tuum magno usui & ornamento fore. Mitto munus & γαμήλιον, quod tuæ coniugi meis uerbis exhibebis. Precor autem, ut Christus uos seruet, & cumulet cœlestibus donis. Bene et feliciter uale. Pridie Calẽdas Aprilis, Anno 1536.

Magistro Laurentio Camillo, rectori scholæ Stendaliæ,
S. D.

In primo Oeconomicorum Aristotelis citatur Pythagoræ dictum: Non esse iniuria adficiendam coniugem, quia ab ara uelut supplex marito adducta sit. Fuit enim uetus mos, supplices, quos uocabant *inĩtas*, sedentes ad aram, petere ueniam, aut

A 2 defen-

defensionem: et inde subleuati à uictoribus aut defensoribus recipiebantur. Deinde scis, singulari religione supplices defensoribus commendatos fuisse, ut uersus inquit:

κὴν ἀδινὰν ἐνέτας, ἐνέται ἰσπὸρρς λέων ἀγγοί.

Etsi autem doctrina cœlestis illustriores con-
 ciones de coniugij fœdere proponit, quæ tibi no-
 tissimæ sunt: tamen quia hoc Pythagoricum dictum
 uestigia piæ antiquitatis recenset, & confert spon-
 sam ad supplicem: ualde eo dicto & ipse delector,
 & alios eruditos delectari audiui. Ideo tibi quoque
 notum esse uolui: & precor Deum æternum pa-
 trem Domini nostri Iesu Christi, cōditorem uniuersæ
 nature rerum, & generis humani, & authorem
 dulcissimæ consuetudinis coniugalis, ut tuo coniu-
 gio adsit, & faciat ut sit faustū & felix. Nos nunc
 temporibus retinemur, quo minus tecum & γα-
 μισία & meum natalem celebrem. Nam meus na-
 talis proximus est à tuis γαμυσίοις, uidelicet 16 Fe-
 bruarij. Bene uale. *λέων τῆν νόμωφ φιδίνα δατο.*

Meministi enim uersum,

ἐγὼ λέων οὐ λενέοισι φιδίνασιν ἀδεια τέγφω.

7 Februarij, Anno 1547.

Venerando uiro, &c. domino Georgio
 Buchholzer, præposito Ecclesiæ Dei
 in Berlin, amico suo,

S. D. Venerande domine Georgi. Mitto uobis
 pagellam